ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ

Syn. 8. 60. 72

SIVE

DE REDVCTIONE REGNORVM BRITANNIÆ AD VNVM PRINCIPEM, POEMA.

Y. 11. 4

Ad Sereniſſ. Potentiſſimumq; IACOBVM *Angliæ, Scotiæ, Franciæ, Hiberniæ* Regem, Fidei Defenſorem, Patrem Patriæ.

Per GEORGIVM THOMSONVM Andreapolitanum.

BIBL. CANT. ACAD.

LONDINI
Excudebat *Melch. Bradwood*,
impenſis Sim. Waterſon.
1604.


HONI SOIT QUI MAL Y PENSE
DIEV ET MON DROIT


MVNIFICENTIA REGIA. 1715
J. Pine sculp

192; 01

ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙ'ΩΣΙΣ

Ad Sereniſſimum Potentiſſimumque IACOBVM *Angliæ, Scotiæ, Franciæ,* & *Hiberniæ* Regem, fidei defenſorem, Patrem Patriæ.

TRinacriæ telluris honos, Acragantis alumne
Empedocles, te, ſive [a] *furens, ſeu pectora ſanus* — [a] Cic. Acad. quæſt. 4.
Carmina [b] *divino ceciniſti percitus œſtro,* — [b] Lucr. lib. 1.
Authoremq; ducemque viæ comes inſequor ardens,
Agnoſcoque lubens tecum genitabile dulcis
Robur amicitiæ, ſævæque incommoda litis,
Nulla etenim ſunt firma adeo primordia rerum,
Ferrea habent quanvis, quanvis adamantina vincla,
Quin ea lis quatiat, quin conquaſſata reſolvat,
Nulla tamen ſic illa poteſt luxare noverca,
Quin diviſa queat melior conjungere tandem,
Quando volet Natura parens, quæ legibus arctis
Dulcis amicitiæ, quibus omnia condidit olim,
Diſſociata ligat; ruptus ne litibus orbis,
Si flagret, ruat ipſa ſimul, ſimul omnia cernat
In chaos antiquum lapſo ſe condere mundo.

Brutio adhæſit agro quondam Trinacria tellus,
Donec amicitiæ coluerunt vincula fratres,
Pluto ſoli rector, rector ſalis Ennoſigæus.
At ſimulac nexum diſcordia rupit amoris,
Hinc Neptunus atrox ac inde furentibus undis
Irruit, erodenſque ſui molimine ſceptri,
Heſperium Siculo latus abſcidit, atque vetuſtas
Cyclopum ſedes, Trinacria & oppida, & agros
Alba dedit Galatæa tibi, celerique colendos
Cymmothoæ tecum virides quæ pervolat undas.
Reddet at avulſum Latio Natura Pelorum
Olim, cùm libitum fuerit, volventibus annis,
Atque ubi nunc dominantur aquæ, terra alta reſurget,
Et Siculæ agnatæ tellus jungetur arenæ.
Olim interſecuit geminas ſymplegadas unda.
Natura volvente vices tamen, atque volente,
Inſula nunc una eſt, nec dividit amplius æſtus.
Leucada continuam veteres habuere coloni,
At nunc Neptuni tota eſt ſubjecta tridenti,
Totaque velivola nunc circumfunditur unda.
Quæ rurſus Phœniſſa Tyros fuit inſula quondam,
Inſula quæque Pharos fuit, atque Antiſſa, receſſu
Ponti, continuæ numerantur in ordine terræ.
Olim quæ toto diviſa Britannia mundo,
(Siquid habent fidei veterum monimenta virorum)
Brutia terra fuit, fuit uni ſubdita ſceptro:
Sed nimium perculſa diu civilibus undis
Diſſiluit dirupta, & hiatu ingente dehiſcens
Anglia nomen habens pars una receſſit ad Auſtrum,
Altera ruptura pars ſumſit Scotia nomen.
Et velut æſtus edax inter duo littora currens,
Fluctibus inſanis partem hinc avellit & inde,

Inque ſinum mare raptat atrox, quæ diruta terræ
Abſtulit, & ſecum vaſto ſub marmore volvit;
Non ſecus inſanæ lites, & bella profana
Angliæ opes trivere & robur Scotiæ avitum,
Vtraq; dum acciperet, magnas daret utraque clades.
Seu, quòd nixa foret dominandi vaſta libido
Ad magnas emergere opes, rerumque potiri:
Seu, Stygia quod miſſa domo furialis Erinnys
Sparſit utrinque faces penè implacabilis iræ:
Ne tamen irarum tæda hæc flagraret in ævum,
Ipſe parens rerum gentem miſeratus utramque,
Ætherea tædas dimiſit ab arce jugales;
Vt tædas tædis & tolleret ignibus ignes;
Vt commiſtus amor lites ſopiret obortas,
Caſtus amor Regem qui in luminis ederet oras,
Vtriuſque ſatum populi de ſanguine Regum,
Qui divulſa priùs concordi regna ligaret
Pace, duas gentes, gentem pater unus in unam
Iungeret, & factas ſcelerato Marte ruinas
Erigeret, faceretque ſui formidine ſceptri
Se jungat ripis ut Hibernica ripa Britannis.
Tu Rex ille Iacobe *ingens, cui talia cælum*
Efficienda dedit, quem tanta ad munera miſit,
Tuque ille es pia virgo cui ſua ſceptra reliquit,
Quemque ultro accerſit juſtum ad diadema ſenatus
Anglicus, ille cui moderandas tradit habenas,
Datque, quibus plectas peccantûm colla, ſecures.
Quid vana ambitio ſerpens ad culmina rerum
Hic faciet? quid ſeditio? quid aperta puſilli
Vis numeri? quid've inſidiæ? tibi ſceptra dedere
Ius patrium, aſſenſus patrum, divina voluntas.
Ius petitur? per utrumque tenes diadema parentem.

Cœli amor ? ad faciles vadis ſine ſanguine faſces.
Ergo tuo hoc jure, & cœli indulgentis amore,
Atque tuis adeo feliciter utere fatis.
Traderet at faſces ſi non tibi ſtemma paternum,
Sed ratio eligeret florentem robore regem:
Hæc tibi deferret trabeam, ſolioque locaret,
Ornaretque tuam puro diademate frontem.
Si petitur robur: vis eſt vicina, propinquum
Regnum, unde innumeros primo præcone maniplos
Educas, quibus arma fuges hoſtilia ab Anglis.
Rurſus imaginibus numeroſis ſumma poteſtas
Si danda eſt: (Reges ignoſcite vera canenti)
Vnus es è cunctis, quatiunt qui ſceptra per orbem,
Qui decies numerare decem, ſeptemque tenentes,
Sceptra potes cretos, quo tu ipſe es ſemine cretus.
Sin numeroſa minus ſeries, quàm pondera avitæ
Virtutis quærantur: habes quoque pondera avitæ
Virtutis, proavorum etenim ſi facta tuorum
Quis de purpureis vellet depromere faſtis:
Tot caperet documenta, daret tot, tantaque mundo
De generis virtute tui, quot nemo per orbem
Rex vivens, vel qui vixit, numerare valebat,
Quot numeret nemo poſt ſecula cuncta futurus,
De te, deque tuis ſi ſola oritura propago
Excipiatur, habens, habituráque nomen avitum.
Nec modò nemo poteſt pro avorum tot ſibi laudes,
Nemo ſuis proavis laudes aſcribere tantas,
Sed penitus numerare poteſt, tot tantaq; nemo
Rex ingens Iacobe *tuæ præconia laudis.*
Nam veluti tua regna mari cinguntur ab omni
Parte, patrum ſic tu clara virtute tuorum
Cingeris, ut me inopem faciat tua copia vatem
Conſilij

Conſilij, quæ facta canam, quæ indicta relinquam;
Omnia quandoquidem magni ſunt plena laboris,
Magnus & ille labor magno cumulatus honore,
Gloria nec tenui ſit tanta canenda Camenæ.
Non igitur totam ſeriem longo ordine regum
Percurram, ſed ſola tuæ primordia ſtirpis
Narrabo, unde tibi decus, & demiſſa poteſtas.
Tu ſimul ipſe recognoſcas, quæ, vera canentes,
Eruta de priſcis monimentis pandimus orbi.
Authori quid ſceptra tuo dedit inclyta quondam
Scotica Ferguſo? quibus artibus illa reliquit
Parta ſuis, adeoque tibi? Num callidus aſtus
Inſidiæque dedere, emendicatáque plebis
Quæ temnit, ſecura mens, ſuffragia virtus?
An ſedes habitare novas injuria victrix
Fecerat? An, dominis veteri de ſede remotis,
Vis dedit ut vacua ſolus regnaret in aula?
An potius virtute ſibi diadema paravit?
Quippe, ſuis collapſa ferè jam viribus, acre
Senſerat ingenium paci aptum armiſque tuendis
Scotia; ſenſerunt Picti quid dextera bello
Conſilioque animus poſſet; ſenſere paternum
Victi animum, Scotis quos junxerat hoſtibus hoſtes.
Expertus quoque Coilus atrox, qui nomina terræ
Impoſuit de ſtrage ſuo, de ſtrage ſuorum.
Hæc Scotos, Pictoſque ſuo victoria Regi
Sic junxit, ſtabilis jus immutabile ſceptri
Ut dederint ipſique, ejuſque è ſemine cretis,
Et natis natorum & qui exorientur ab illis.
Quoque foret data firma fides, immotaque ſtaret,
Non levibus mandare libris, tenuíve papyro
Pacta, ſed incîdi voluere in marmore duro,

Cælo, quod lenti Chalybum coxere camini;
Relligioque, ſacras res ut conjuncta profanis
Divideret, voluere notis ea pacta dicari
Sacris, à myſtis & majeſtate verendis
Servari, & natis tradi ut ſua ſacra futuris.
Artibus his peperit tibi ſceptra, his artibus iiſdem
Innumeris liquit tradenda nepotibus olim.
Hic mihi ſe oſtendunt permagni elementa laboris.
At mihi cùm neque ſint litui, nec cornua Martis,
Nec tuba, quâ fera bella canam, ſed plectra jocoſa
Imbellem queis tango lyram, vel ruſtica avena,
Qua tenuem modulor cantum, per ruris amœni
Prata, per intonſas ſyluas, & per convalles;
Deteram ego magnas agreſti carmine laudes?
Hujus ego ad ſolis radios accedere nitar?
Remigio audacis pennæ, nova nomina caſu
Impoſiturus aquis, novus Icarus inde futurus.
Non audax adeo ingenium mihi turba ſororum,
Non tantos teneris animos inflavit ab annis,
Facta loqui ut regum tentarem ingentia parvus.
Pacis opus tentare tamen mihi fortè licebit,
Si tractare nefas miſcentem prælia Martem.
Eſt locus (ut fama eſt) infamis in algida Ierne,
Purgatorium amat vocitari triſte Patricii,
Antrum ingens, ſpecus horrenda, ac immane barathrũ,
Atram imitata ſtygem ſedes, & opaca tenebris;
Cumque venenoſis animalibus inſula non ſit
Infamis reliqua, unus habet locus ille venena.
Illa una eſt ſedes fœdis reptata colubris.
Hinc velut ex Erebo exſiliens inſana Megæra
In capite horribiles geſtans pro crinibus angues,
Quatuor ex illis, totidem ut de fronte capillos,

Illicet,

Illicet, evulſit, quarum de vertice tetro
Expreſſit magis igne calens, ſparſitque venenum
Frugiferos per agros, & per vernantia Tempe,
Infecit ſimul hujus aquas aſpergine roris;
Vt puros qui ſe latices haurire putarent,
Pocula combiberent iraque odioque remiſta,
Qui dapis altricis ſe munere crederet uti,
Atra ſimultatis tereret ſub dente venena.
Litibus ergo omnis (quanvis glacialis) Ierne
Flagrat; ubique artus livor depaſcit, & urit
Ambitio; ſibi quiſque ſtudet: ſed publica curat
Nemo; poteſt alium nemo tolerare priorem;
Nemo pari vult jure frui; rerum illicet, omnes;
Agmine ceu facto, culmen rapiuntur ad altum,
Vt lapſu graviore ruant: ni cælitus illis
Mittatur, qui corda domet, qui pectora dura
Leniat, & de præcipiti deducat in æquor.
Tum, veluti cœlo quando deſcendit ab alto
Mercurius, ſedatque animos, & temperat iras
Ancipiti inter ſe cernentûm ſorte duelli;
Nunc illis validæ minitans geſtamine virgæ,
Nunc blandæ alliciens ad amorem nectare linguæ:
Sic ubi Ferguſius patrias allapſus ad oras
Pectora nobilium rerum ſtudioſa novarum,
Et ſcindi incertum ſtudia in contraria vulgus,
Atque in cognato capitales ſanguine lites
Comperit; hos motus, atque hæc certamina tanta,
Sive minis haſtæ, ſeu majeſtate verenda,
Nectareo ſeu melle, gravi quod ab ore fluebat,
Compoſuit, liteſque omnes ſopivit & iras,
Et diviſa priùs meliori pectora nodo
Vinxit, & unanimes populares pace beavit.

Sic

Sic genus omne tuum bello, ſic nobile pace,
Sic ad te armorum manant, ſic pacis honores,
Sic tibi ſtemma novo vetus eſt diademate dignum.
Sin genus & proavos & facta illuſtria patrum
Poſthabeant, quærantque Angli, cui regia virtus
Adſit, cui validi libranda ad ſceptra lacerti,
Cui caput ad triplicem geſtandam ritè coronam,
Cuique humeri ſubiiſſe queant, nec ferre recuſent
Tota in eos triplicis nitentia pondera regni:
Vnus is es, tanto qui non ſub pondere nutes,
Vnus ita es regnans, aliis præſcribere leges
Regibus ut poſſis, totum & dare jura per orbem.
Si quali Auroræ populus rutilantia regi
Olim ſceptra dabat; tali diademata ſoli
Deferrent populi mundi ſub utroque jacentes
Cardine: tu regeres utroque ſub axe jacentes,
Heſperios unus regeres, tuque unus Eoos.
Ille ſatellitium numerabit, at ille coronas,
Hic jactabit opes, irritamenta malorum,
Hic quoniam ancipitem lamnam non vibrat ineptè,
Aut bellacis equi numeroſè flectere greſſus
Novit, & infeſtus turmas urgere fugaces,
Nomen habet, ſuevitque virûm volitare per ora.
Ingenii ſed opes animi & ſolertis acumen
Vnus habes, dotes veras, ſophiamque nitentem,
Faſcia Achæmenii dignam & moderàmine regni.
Nam tibi quæ ignotæ muſæ? quæ vis ſuper aſtra?
Quid ſpatioſa ſinu complectitur orbita mundi,
Quod tibi non pateat, cujus tu vimque modumque
Non ſis rimatus, non noris & intus & extrà?
Tu ſuper aſtra volans penna felice Iohannis
Sublimis ſectaris iter, cœlique receſſus

Clauſa,

Clauſa, redux toto pandis myſteria mundo.
Tales das legum tabulas, ut Sparta Lycurgum,
Si legeret, te jure vocet Salamiſque Solonem.
Si, poſitis ſceptris, lituo Naupactia vates
Bella canis, noſtrorum animos, atheique pavorem:
Non ego Mẹonidem dicam me audire canentem,
Non canere Auſonium dicam me audire Maronem:
Sed Maro cui Latius, Graius cui cedat Homerus,
Et cui par unus meritò dicatur Apollo.
His fuit ars, tibi luſus erat, canere horrida Martis
Arma, duces, comiteſque in vulnera prona ruentes.
Sed mitto muſas, tibi quæ famulantur, & ipſum
Muſarum dominum, qui dat tibi plectra, dat arcum,
Et ſua ſceptra tuis ſubdit radiantia ſceptris;
Hunc alium ſtupeo comitatum. Aſtræa relicto
Alma polo lateri juncta eſt: Themis altera virgo,
Te ſtipans, fas atque nefas libramine juſto
Penſat, & vltricem vindex fert juſta bipennem,
Qua tegit innocuos, qua noxia colla recîdit.
Nec tamen admiſſam, clementia, quæ regit iram,
Deſerit, ultorem plerunque morata lacertum.
Indefeſſa comes Bonitas tibi jugiter adſtat,
Explicita cui frontis honos promittit opima
Dona decens, promiſſa manus largitur abundè,
Dona nec exprobrat, fontes imitata perennes,
Aut indulgentem cunctis ſua lumina Phœbum.
Regia quin velut eſt majeſtas proxima cœlo;
Sic tua divinæ bonitas eſt æmula dextræ.
Flecti iguara Fides veraci conſcia linguæ
Poſſidet abſtruſos animi intemerata receſſus.
Hæ te virtutes quò vadis cunque ſequuntur,
Hæ tanquam radij circum tua tempora fulgent.

Has

Has media inter adeſt canos promiſſa capillos
Candida Relligio te ſpectans ſupplice vultu,
Quem ſic illa, ſuum ut nutrix affatur alumnum,
Rex ingens mihi jam primis dilecte ſub annis,
Quem fovi tepido antè ſinu, quàm figere greſſus,
Quàm tener in cunis poſſes pappare minutùm,
Cui nectar cœleſte dedi pro lacte bibendum,
Suppoſitas cui ſæpe meas haurire papillas,
Nutricem mentita tuam, mihi redde viciſſim
Officium, fulcique manu; ut tibi regna paravi,
Cum regno tu noſtra tuo ſic regna propaga;
Neu nutare ſinas; fac, me quicunque laceſſit,
Pœniteat turbatum animo, pudeatque laboris
Irriti, & ora habeat turpi confuſa rubore.
His te vel paribus certè, ſermonibus alma
Relligio auxilium nutrix've parens've repoſcit.
Non quia non praſtas, ſed ne præſtare recuſes
Sic & in externis, velut in natalibus arvis.
Suete tibi meritis inimicos reddere amicos,
Nutricem ne ſperne tuam; juſta accipe vota
A ſceptri virtute tui pendentis, & uno
Auxilio, poſt aſtra poteſt tua quod dare dextra.
Regna tuo Chriſtique adeo pugnantia Regno
Rumpe, rape, atque orci ad barathrũ retrude profundũ.
Oceani Rector, magnoque armate tridente,
Perge, age, vindicibus Tyrrhenum, navibus æquor
Verre, patrem tenta Tyberinum. Tybris ut olim
Oceani emiſit claſſes in diſſita regna.
Quid tibi jam cœlo terraque marique timendum?
Vndique concurrunt tua qui veſtigia adorant
Regum oratores meritò tua ſceptra timentûm.
Te Rhodanuſque celer, colit & te Viſtula lentus,
Aurifer

Aurifer ipſe Tagus, & Rhenus dives jaccho,
Ortus & Occaſus, Boreas miratur & Auſter.
Ne mare ne ventos timeas, præmiſſa futuris
Dant exempla fidem. Cùm indignareris amatæ
Conjugis amplexum Boream retinere procacem,
Eſſe ſibi charam dum crederet Orithyam:
Tu maris auſus iter dubium tentare minacis,
A gelidoque tuam Borea divellere flammam.
Tuque idem poteras rivalem cogere ventum
Captivum plenis flare in tua carbaſa buccis.
Cumque in te Stygius pater omnem emiſerat orcum,
Cœptum iter ad patrias redeunti ut clauderet oras,
Agmine ſagarum circum tua vela volante,
Neptunus ſubſtrauit iter, rapientibus Euris
Immotus, facilemque dedit per cærula curſum.
Cumque ſuperbus Iber ſceleratis navibus æquor
Straverat, excidium dirum atque extrema minatus
Tunc accepturis nunc accipientibus Anglis
Iuſſa tua, atque tuis monitis parentibus ultrò:
Tela triſulca Deus coelo vibravit ab alto,
Scilicet invictos raptavit & ignibus hoſtes.
Tum conjuratis turbantibus æquora ventis
Abſorptæ ſedere rates in gurgite vaſto;
Heſperia Arctoos pavere cadavera piſces.
Ergo age cui tellus favet & Neptunus & æther,
Concipe juſtam iram, fortiſque ultricibus armis
Vrge hoſtem antiquum, & meritas fac ſolvere pœnas.
Nonne tuas olim Romana volavit ad oras
Prædatrix Aquila, inque tuos graſſata penates?
Carpe viam, neu necte moras, invade profanos.
Non temerè hæc nova ſceptra tuis ſunt addita ſceptris.
Non tibi fulmineus temerè hic datus enſis; in hoſtes

Stringe

Stringe tuos, belloque armos apta atque lacertos.
Exere vim innatam; nunc exere robur avitum.
Erue Romanas Meretricis mœnia ſedes.
Apoc.18.2. *Immundas Aquilæ fac nidum habitare volucres,*
Harpyaſque ſtrigeſque umbrarum & noctis amantes.
Scilicet Æternam fac Romam in luſtra reverti:
Fac veros errare lupos, ubi cruda luparum
Progenies prædata diu ſub imagine noſtra eſt.
Inprimiſque patris trabeati imbellia terga
Vrge, & compedibus mutantem Protea vultus
Necte, tene, ad propriam redeat dum ſponte figuram.
a Apoc. 13.5. *[a] Os modò ſit totus, blaſphemum ſit modò [b] Cornu:*
b Dan.7.8. *Nunc ſeptemgemini [c] caput eſt immane Draconis:*
c Apoc. 13.1. & Apoc.17.10. *Nunc [d] Agni (ore draco) mentitur cornua puri:*
d Apoc. 13.11. *Nunc [e] ſolio elatus, regem ſe verna ſuperbus*
e Apoc. 20.4. *Venditat, in reges & jus ſibi vendicat ipſos.*
At preme tu istarum donec miracula rerum
Induta exuerit, ſeſeque reſumſerit ipſum.
Nec metue hanc jactantem incendia vana Chimæram,
Bellerophontæa nec enim virtute trimitre
Eſt opus, ut domites monſtrum: vincetur ab Agno
Hircus, odore gravi qui totum infecit ovile.
Adde manus operi tantùm; virtute Tonantis
Belluam humi ſternes; blaſphemum in vertice cornu
Confringes, reddeſque idem os elingue profanum;
Et caput horribili abſcindes immane draconi,
Ereptumque throno mittes ad Tartara regem.
Nec ſatis eſto trucem tibi detruſiſſe tyrannum
Grandiloquum ad ſtygias regali à culmine ſedes.
Quicquid Auentini ſcelerato in vertice reſtat,
In Capitolina quæcunque eſt arce ſuperſtes
Dira domus; quicquid Tarpeia in rupe relictum

Diripe,

Diripe, & ex imis evertito fundamentis;
Flammanteſque faces adde, atra incendia miſce;
Vltimaque ultrici da perfida mœnia flammæ:
Sic timor uſque hoſtis, ſic ſis amor uſque tuorum,
Sic populum Deus uſque tuum parere volentem
Efficiat tibi: ſic gratum tibi tranſeat ævum,
Sic benè re in terris geſta potiaris olympo.

AD EVNDEM IACOBVM *Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ,* Regem, Fidei Defenſorem, *Patrem Patriæ.*

DE

Pompa in ejus introitu *in Londinum* Sylva.

LONDINI
Excudebat *Melch. Bradwood,*
impenſis Sim. Waterſon.
1604.

Ad eundem IACOBVM, *Angliæ, Scotiæ, Franciæ*, & *Hiberniæ* Regem, Fidei Defenſorem *patrem patriæ. De pompa in* ejus introitu in Londinum Sylva.

POſt varias clades & ineluctabile fatum
Saxonidum, tenebraſq; atras, noctemque profundam,
Quæ maleſuada fuit tantorum cauſa malorum,
Auſa nefas atrum fucare coloribus æqui;
Miſſus ab Aethereo tandem ſol aureus axe,
A cæcis Anglorum animis hanc diſpulit umbram;
Nec luce adueniens tantum, ſed pace beauit.
Tunc decus appoſitum regno, longæva regenti
Vita data eſt, pelagi regnum, numeroſaque paſſim
Colchidos inviſum ſuperantia vellera vellus.
Vna petenda fuit tantis conſtantia rebus,
Manſuruſque tenor pacique boniſque fruendis.
Sed velut extremis rediens mercator ab Indis,
Diues ubi puppem gemmis onerauit & auro,
Lætitia perfuſus abit, dum proxima cernit
Littora, fœlicemque modum ſibi ſomniat æui.
Aſt ubi jam fugere domus: ubi vectus in altum:

Nulla patet tellus: cœlum undique & undiq; Pontus:
Tunc gelidus ſe cuncta tremor per membra, per artus
Inſinuans, horrore quatit præcordia duro,
Cum pedibus mens ipſa ſimul titubantibus errat.
Iam formidatur ventura repentè triremis,
Remigio victura levi mox vela ſecundis
Non impulſa Notis: rurſus piratica puppis,
Certatura pari vento atque æqualibus alis.
Ipſa, metus, qui parva ſolet ſibi fingere magna,
Oceanum brevibus fugituro finibus arctat.
Solis ei nitidum lumen, quia cuncta revelat,
Diſplicet, optantur quæ involvant cuncta tenebræ,
Somnia per requiem noctu incurrentia turbant
(Si requies tamen ulla venit) ſi ſpiſſor umbra
Velauit conceſſa polum; ſi pignora Ledæ
Delituere, ſuos nec Cynthia præbuit ignes:
Formidatur obex aut exſurgentia dorſa,
Flectentiſque ratem metuuntur fata magiſtri:
Sic Angli cum parta fuit res ampla, Regentem
Fata verebantur, ne cùm ſuprema vocarent,
Huc, caſſi ductore, vagi raperentur, & illuc,
Inſanoq; darent ludibria certa Gradivo.
Ergo ſibi metuens hoc triſte Britannia fatum,
Æthera per liquidum ſeſe pernicibus alis
Librauit, ſoliumque adijt ſublime Tonantis,
Non, Mahumetanos cùm debellavit apellas,
Qualis jura dabat Solymæ, qualis've propinquis
Victrix jura ſuis Gallis diviſerat olim;
Sed qualis, ſervile jugum cùm victa ſubivit
Normanni populantis agros, Danique ferocis,
Qualis & Auſoniæ ſubjecit colla ſecuri,
Adque Dei proſtrata pedes de pectore mœſto

Hos

Hos humili triſtes effudit murmure queſtus.
Alme parens, qui celſa tenens pallatia cœli,
Inde vel humano generi das larga benignus
Munera, vel vindex in terras fulmina vibras;
Das pacem, das divitias, bellique ſubinde
Idem aperis portas, tetris ubi moribus orbis
Pollutus ruit in pejus, rectamque recuſat
Ire viam, ſequiturque volens, quò devius error
Ire jubet lucem fugiens, tenebraſque repoſcens:
Hæc ego ſi feci, tua nec ſum juſſa ſecuta,
Stulta fui rebus nimium ſublata ſecundis,
Reſpexique minùs cœlum quàm pondera terræ:
Non pœnam, ultoris dextram ſed deprecor hoſtis,
Hem! ne abſcinde caput: truncum ne linque cadaver
Vulturibus laniandum, & iners ſine principe vulgus.
Iam præceps meus ecce ruit Sol aureus, umbra
(Ni mihi proſpicias) & nocte involuar opaca.
Principe ſublata, niſi, qui mea ſceptra gubernet,
Rex datur, & legum qui rectè flectat habenas,
Hoſti præda diu dabor exoptata ſuperbo:
Quodque magis timeo, pectuſque quod acrius urit,
A noſtris tuus omnis honos arcebitur oris:
Nec tibi ſed vanis fundentur vota figuris.
Quòd tibi ſi de me ſententia ſumere pœnas
Perſtat: ſume flagrum miſerans, & amore paterno
Plecte, nec hoſtili mea colla relinque ſecuri,
Hæc fata obticuit: nec inania vota Tonanti
Obtulit: ecce etenim patrio caſtigat amore
Ipſe ſuos pueros, & dulcia miſcet acerbis.
Pars vulgi ſi peſte cadit, ſi ſumma Regentem
Fata vocant: aliunde venit numeroſa virorum
Nobilium pro plebe cohors; pro principe rapta,

Rex, fœcunda parens, natus ſpes altera regni
Henricus, *reges parituráque nata potentes.*
Quid quòd adhuc aliam nutrit quoque Scotia prolem,
Qui (mendax niſi verba mihi dedit augur Apollo)
Innumeros olim ſua ſub vexilla maniplos
Ductabit, qui juſſa patris ſceptrumque peroſos
Coget ad officium, præbere obnoxia juſto
Efficiet fera colla jugo, frænoſque ſubire.
O fortunatos generoſa hac prole parentes!
O fortunatos nimium ſua ſi bona norint
Saxonidas, quamvis etiam ſua commoda norunt
Et feſto celebrare die ſua gaudia certant.
Huc mare, terra, polus mihi conſpiraſſe videntur.
Huc tribuit molles Zephyros agitabilis aer.
Murmura pro modulis edunt, argentea mittunt
Flumina pro donis, contorta volumnia fontes
Pro choreis, gyroſque rotant, volvuntque ſaburram.
Iam lana meliore Aries incedit amictus,
Suſpenſoque gradu lætæ ſua lumina terræ
Defigens, cupiduſque novæ ſpectacula pompæ
Aſpiciens, vernas ædes petulante relinquit
Luxuria, quantuſque ſuis ſit in ædibus hoſpes
Nil reputat, ſtabuliſque olidis Pyroenta locatum
Negligit, & genio juvat indulgere protervum,
Iamque, coruſcanti ſimilis, ſpectacla videtur
Edere velle procax cornuque laceſſere Taurum,
Et feſtam decorare ſuo certamine lucem.
Ipſe ſui Phœbus ſequitur veſtigia ſigni
Clarior aſſueto, talique ornatus amictu,
Quali, cum Clymenen adiit, nituiſſe putatur.
Interea vectigal aquæ non ferre Tamiſim
Miratus Neptunus, avet quæ cauſa morandi eſt,

Scire:

Scire: vocat, conchaque jubet Tritona ſonare,
Tardius & ſolito cunctans accerſere flumen.
Ille vocat; fluvius Neptuno ſurdior ipſo
Lentus abeſt, hæretque ſua ſub margine ripa.
Ergo Cymmodocen eſt Cymmothoenque videre
Per fluctus volitare maris, properare petitum,
Seditio ſi forte moram nova fecerit amni,
Spreuerit aut Pelagi regem, ſævumque tridentem,
Quo regit immenſos vaſto molimine fluctus.
At molles agitare choros ubi Naiadas illæ
Viderunt, gyroſque leues ut flecteret amnis,
Inſeruere globo ſeſe, numerumque frequentes
Auxerunt, numeroſque ſimul, lætæque dederunt
Irrita ventoſis Neptuni juſſa procellis.
Ergo ferox Delphine vehens, ſævóque tridente
Armatus dextram, littus petit ipſe Britannum,
Vlturus, vis ſiqua ſuis illata fuiſſet
Nymphis, obtorto ducturus flumina collo.
Ille rei ſimulac ingreſſus fluminis alueum,
In dulci celeres videt Oceanitidas unda,
Naiadumque choris miſtas ſe vertere in orbem,
Ipſe ſuas advoluit aquas, & flumina tollit,
Exultatque frequens, & ſceptrum in flumine motat.
Ecce ſimul Dryades faciles in littore ludunt,
Syluanique leues, & Oreas multa relictis
Montibus, indociles agili dans corpore motus.
Serta parans tellus; violas eructat odoras
Brachia dant ſylvæ folijs veſtita tenellis.
Tota reuelat opes ſimul Anglica terra latentes,
Geſtat odoriferos Londino mittere flores
Et ſua collectas per littora mittere gemmas,
Vrbs ea dum claſſe atque viris opibuſque ſecunda

Nulli, quam veniens Sol aſpicit atque recedens
Excipit optatum plauſu & læto omine Regem.
Hic ego dum ſtupeo, mecum mirare Camæna
Prætoris quæ cura grauis, quæ cura juuentæ
Prætori parere ſuo: quàm ſedulus omnes
Ardor habet decorare vias, ornare theatra,
Regalique, polo tabulata minantia, luxu.
Namque velut placitura proco formoſa puella
Ad ſpeculum fingit vultum, miſtoſque capillos
Aut ebore in partes aut buxo dividit æquas,
Annellos imitatur acu, criſpatque decenter
Hinc cirros ac inde leues, aurique tenellæ
Aut tremulas baccas, aut longos addit elenchos.
Et niveis gemmas digitis colloque monile.
Aut velut Anna olim regem viſura maritum
(Quem meritò raptauit amor per ſaxa per undas)
Divitiis licet ipſa ſuis animoſa placere
Sat potuit, nihil indiga opis cultuſ've petiti,
Matris ad arbitrium regali ſplendida luxu
Culta tamen, gemmis nitidis inſignis & auro
Regis amans ſub corde novum ſubjecerat œſtrum.
Et non ingrato præcordia vulnere læſit.
Vrbanus ſic prætor opes enititur urbis
Addere divitiis, atque ornamenta decori
Iungere, natiuæ formam ſuperaddere formæ,
Aurum auro, gemmas gemmis, ſpectacula pompis.
Purpurei regem patres longo ordine primi
Excipiunt, pacemque togis portendere gaudent,
Quos phaleratus equus non ſic commendat & aurum,
Non bombyx, non gemmarum radiata ſupellex,
Vt decorat cani capitis veneranda ſenectus.
Terga premunt equites alij cunctantia patrum

Per

Per numeros inſtructa cohors, undantia utrinque
Agmina conſpicias volvi ad ſpectamina regis.
Tecta tenent matres pueri innuptæque puellæ;
Indeque deſpiciunt Iacobum *lumine fixo*
Suſpiciuntque ſimul: dant accipiuntque ſecundas
Voces: Rex canos IACOBVS vivat in annos.
Non fauor hic emptus non ambitione petitus,
Sed meritis Iacobe *tuis & moribus ultrò*
Eſt datus, & claris virtutibus addita merces.
Accipe lætum omen, lætas has accipe voces.
Tutior hoc ibis populi mihi crede fauore,
Munitus, quàm mille latus ſi pila coronent.
Sed tuba ſed plauſus ſed ahenea jam tormenta
Hoc exile premunt noſtræ modulamen avenæ.
Ergo redi mea Muſa ad opes, quas prodiga donat
Vrbs Regi, eque ſuis quæ promit munera gazis.
Ambroſij nutrix veluti quæ lactis abundans
Vbera bina gerens, totidem ceu pectore fontes,
Non modo nectareo dilectum nutrit alumnum
Lacte ſuum, verniſque roſis rigat æmula labra;
Sed faciem tanquam luſtrali rore tenellam
Imbuit, & quandoque ſinus quoque lacte nivalem
Candorem ſuperante lauat, molleſque lacertos,
Inque oculos ridens jaculatur ſpicula lactis:
Sic hæc merce potens argenti dives & auri,
Debita non Regi contenta dediſſe tributa,
Prodiga ſpargit opes, & dona ſuperflua fundit
De locuplete penu: nec perfunctoria triſtis
Dona dat aſt alacrem teſtantia munera mentem.
Inter opes dat vota libens, cœlumque fatigat
Supplicijs, Regi longævam ut ſidera vitam
Influxiſſe velint, canam indulgere ſenectam,

Et

Et (ſi fata ſinant) redivivi Neſtoris annos:
Sin minùs (Acceptis ne deſit faſcibus hæres)
Perpetuam ſobolem genituraque pignora natos,
Iuſtitiæ qui lance pari, & libramine juſto
Præmia virtuti, qui dent ſua præmia culpæ.
Hæc dum fatur, adeſt triplicis ſpes proxima regni
Henricus, terræ flos deliciumque Britannæ,
Quem plebs officijs, ſic obſervatque colitque,
Olim ut mortales ſurgentis lumina ſolis:
Aut ſi parva licet rebus componere magnis,
Stridula ceu quondam caritura examina rege
Ducturam venerantur apem per prata minorem,
Atque humeris geſtare ſtudent, tanquamque ſalutant
Confuſas populi voces imitante ſuſurro.
Fac princeps Henrice illum merearis amorem,
Creſce tui virtute animi ceu corpore creſcis.
Divitijs confide tua virtute paratis,
Divitijs animi, quas ut Fortuna dediſſe,
Sic auferre nequit; proprias quas dixeris unas.
Incipe quæ deceant è tali ſanguine cretum;
Incipe jam faſtis meditari digna futuris,
Excole nunc ſtudijs generoſum pectus honeſtis,
Et preme ſacrati veſtigia juſta parentis.
Ille dabat primis dicta admiranda ſub annis.
Vnguibus à teneris Muſiſque & Pallade plenus
Spem dedit hanc quæ jam non publica vota fefellit.
Tunc ſæuit, nunc ampla datur poſt ſemina meſſis.
Tum magnus pater ille tuus præludia viſus
Eſt dare, & augurium regni majoris & omen.
Tanta videbatur jam tum tranſcendere virtus
Haſce breues patrum metas, ſceptroque puſillo
Non contenta, thronos ſed tandem habitura ſuperbos.

Hæc

Hæc ſtudia, hæc virtus, hæ tantæ in pectore dotes
Fecerunt, quamvis quoque debita, ſceptra mereri.
Antè quibus crimen fuerat dixiſſe futurum,
Nunc jactant regem eſſe ſuum, patremque Britanni.
Sic, quoque te, quem nunc fera Gallia reſpuit, olim
Mutata accerſet ſolioque locabit in alto.
Debita ſi titulis etiam virtute mereri
Regna ſtudes, famaque bona iuuenilibus annis.
Hanc mihi ſi per fata diem vidiſſe licebit,
(O liceat?) quo tu Sequanam Ligerimq; Garumnamq;
Et rapidum coges Rhodanum te ſiſtere rege
Adventante ſuo, famulos & ſternere fluctus;
Pauca vel à promtis tunc impetravero gratus
Carmina, ab invitis vel certè extorſero Muſis,
Queis feſtum celebrabo diem, faſceſque receptos,
Redditáque imperio Gallorum ſceptra Britanno.
Ne propera mea Muſa tamen, ſed facta notatu
Digna domi nunc cerne magis, ſecura futuri.
Quanquam ego quid ſpectē, vel quæ ſpectacula narrem
Non video, nam cuncta latent, & gloria major,
Auguſtique decus Regis, ſplendorque coruſcus
Extinxit pompam, veniens ceu ſidera Phœbus.
Huc ego cum populo cur non mea lumina vertam?
Cur ego cum populo non hoc ſtem fixus in uno?
Nec tamen hic mirabor equum, qui naribus ignes
Efflat, & in dorſo Regem ſentire videtur,
Majeſtate gravi ſic mollia crura reponit.
Hic non ſceptra, graves non hic cantabo coronas
Prælatas, non qui gladius metuendus iniquis:
Clangores nec arundo tubæ mea reddere tentat:
Neve ſatellitium, nec circumſtantia pila
Pingere peniculus, nec membra decentia Regis.

Hic

Hic animi mirabor opes, hoc carmine mentem
Concelebrabo altam, quæ ſolers, quicquid ubique eſt,
Scrutatur, ſeu parca tegit, ſeu larga revelat
Terra, ſecat tremulis ſive id vada cærula pinnis,
Quæ ſpatium terræ atque maris metitur & aſtra,
Quæque capax ambit, libratque & judicat æquè
Cecropij quæcunque ſophi, quæcunque Latini
Pellibus, aut tabulis, aut mandavere papyro,
Aut quæ dixerunt tradenda fidelibus olim
Auribus, & tacita clamoſa ſilentia ſecta,
Cujus in amplexu largo tenet omnia, vel quæ
Verax fama canit, vel mendax fabula fingit.
Quæ pacis molitur opus, quæ nititur orbis
Oſtendente modum, diras componere lites.
Ille roſas & ſpem vernantia lilia pacis
Prætendit, dulciſque lyræ concordia fila.
Illam pacificus fecit Cyllenius olim,
Et dedit humano generi quæ turbida mentis
Nubila diſcuteret, quæ conciliaret amorem.
Fretus ea Amphion Thebanam condidit urbem,
Saxa ad opus cogens, aut ſaxea pectora mulcens,
Arboreos animos hac poſt ſe traxerat Orpheus,
Fecit & admiſtos ſaltare leonibus agnos.
Hac quoque Lymphati mulcebat pectora Sauli
David, & ad placidam revocabat membra quietem.
Hanc Iacobus *habens cœli ſine fraude miniſter,*
Atque idem Amphion; idem vi carminis Orpheus
Officio David, populo dans jura Tonantis,
Hac tacitè (licet haud tacitè) monuiſſe videtur
Vt pacem coluiſſe velint diſcordia regna,
Compedibuſque trucem firmis conſtringere Martem.
Ipſe colit pacem, quam ſi turbare quis audax

Tentarit,

Tentarit, clypei formidet ſigna tremendi.
Hic leo terribilis commiſtas ignibus iras
Ex oculis jaculatur atrox ardentibus, ultor
Opprobrii invictus, debellatorque ſuperbi.
Hoc geſtamen erat quondam majoris Atridæ,
Hoc fuit Alcidis qui monſtra coercuit orbis,
Hoc geſtamen erat Ferguſi nobilis olim,
Ferguſique manet ſtirpi, & remanebit in ævum.
Omen ineſt ſignis: timeat tentare leonem
Simia ludificans, confiſaque viribus urſa,
Vel pedibus pardus, vel fraudi callida vulpes.
Quippe luet regi meritas audacia pœnas.
Macte iſta virtute leo: nos te duce macti.
Nos licet imbelles, damæque vocemur inertes;
Te duce vincemus, queis præſit dama, leones.

Ad eundem de Grato nuncio, poſt ſiniſtram *lethiferi ictus ab eodem accepti famam in* Gallia ſparſam menſe Iulio. *Anno.* 1603.

TOt ſceptra princeps maxime qui tenes,
Magni Tonantis tradita dextera,
Ter te beatum prædicabat,
Ob faciles ſine cæde faſces
Tuus Britannus, Scotus, Iernius,
Et bellicoſus Gallus, & integro
Quicunque in orbe eſt Chriſtiano,
Pura colens ſacra mente pura:
Tecumque ab imo pectore gratias
Fundebat illi, legibus arbiter,
Qui juſtus æquis, tollit altum
Ad ſolium ſua jura amantem.
Hoc geſtiebat lumen ab æthere
Miſſum, fugandis hoc roſeum jubar
Spiſſis tenebris, quæ per orbem
Imperium obtinuere iniquum.
Téque autumabat, ſacrilega, duce
De rupe Tarpeia, & Capitolio
Tractum Antichriſtum iri, rotantes
In Tybridis rapientis vndas.
Ferale ſed mox gaudia nuncium
Concepta, lingua turbat ab impia,
Tetro veneno delibuta, &
Imbre nigro Stygiæ paludis

Infamis

Infamis aures fama perambulat,
Pectus ſacratum miſſile plumbeum
  Tentaſſe, trajeciſſe telum
    Puluere ſulphureo incitatum.
Hic quanta noſtrum nox rapuit diem?
Quantis tenebris ſolis id obrutum
  Lumen ſerenum? quanta texit
    Auricomum iubar illud vmbra?
Caligo non tam triſtis & horrida eſt,
Quæ denſa opacat Boſphorium ſinum,
  Vt nuncij funeſti & atri
    Ore ſedens dolor ille noſtro.
Iam nos alebant pro dape lacrymæ:
Duris medullas oſſibus intimas
  Exhauriebat mæror ardens,
    Et ſtupidos tabefecit artus.
Spirare ſuſpirare fuit, faces
Spectabat unas funereas ſui
  Pertæſa vita: ut flos reciſus,
    Marcuerat decus omne vultus.
At fluctuantes hiſce doloribus,
Interque lentas ſpes dubij, & metus,
  En nuncij gratam labantes
    Accipimus recreantis auram,
Refert quod atris mortis ab vnguibus
Te liberatum, te tibi redditum,
  Tuiſque, conſpiratione,
    Perniciem meditante, aperta:
Tecum ferocis mortis ab vnguibus
Nos liberati, pandere gaudia
  Et voce geſtimus ſonora,
    Atque lyra cytharaque neruis.

Rex

Rex occidis tu? nos cadimus ſimul.
Viges? vigemus: Si ureris urimur
Flores paris naturæ, & unà
Ponimus accipimuſque vires,
Ergo expeditus fraude, Deo piè
Rex vive, fœlix vive diu tibi,
Vt nos diu vivamus, atque
Tecum hilares habeamus annos.
Vivis popelli ſicut amor tui,
Vivas tuorum ſic timor hoſtium:
Regnumque Chriſti ſic propages,
Peſſum ut eat ſimul Antichriſtus.
Scortum Latinum te meritis rogis
Authore detur: diſpereat Lupa,
Vltore, quæ agnos immerentes
Ingluuie rapit impotente.
Clarum Albionis nomen in Alpibus
Pubi tremendum Romuleæ magis
Sit, quàm ducis Carthaginenſis
Nomen erat, Libycæque pubis.
Faxit, tibi qui ſceptra dedit nova,
Claroque cinxit lumine verticem,
Hac luce diſpellas profundas
Imperium tenebras tenentes.
Faxit virenti robore tranſigas
Seræ ſenectæ tempora ſuaviter,
Victo ſuo, victo tuo hoſte
Aſtra ſuper diadema portes.